

## LIBER QUARTUS

1. *IUL(IANUS) D(IXIT)* (1) Existimo ego sollicitum lectorem posse mirari, cur cum opusculum meum certo librorum numero ex scribentium solemnitate distinxerim, tamen libri alterius solvam in altero quaestiones. Unde est illud quod in tertio volumine disputavi, apostoli sensu[s], qui *per unum hominem peccatum in mundum* intrasse dixit – quo numero opinionem mali originalis oppressit –, illud quod ex uno Abraham generatio Iudaeorum descendisse perhibetur, nihil vel exigui intulisse concussus. Id autem putet lector iste, cui nunc satisfacere instituo, in secundo debuisse volumine collocari. (2) Norit igitur hanc responsionis fidem, qua etiam illa, quae putantur intermissa vel in libro sequenti supplementur, nec quicquam incommodare certamini nec de ulla festinationis perturbatione, sed tam de causarum necessitate quam de consilii ratione contingere. Suppetit vero magnorum ingeniorum copia, quorum exemplis talis stili consequentia vindicetur, sed inepta iactatio est ad defensionem simplicis negotii sonantia priscorum nominum advocare suffragia et securitatem facti reddere defensione suspectam. Secundum ergo librum quem asserendis apostoli sententiis destinaram, ne in nimiam longitudinem levium quaestionum proferret adiectio, disputatione necessaria terminavi. (3) Verum quia munere seriae dissertationis impleto libuit etiam ineptis

---

1,5 disputavi] *cf.* 3,84–95; Rom. 5,12 7 quod ... perhibetur] *cf.* Hebr. 11,12

---

Incipit liber quartus *GK*, Incipit eiusdem liber IIII *TM*, *add.* contra Iulianum haereticum pelagianum *M*

1 *GTM* 1 Iulianus dixit *TM Vig.*, Iul(ianus) *G Maur.* 5 sensu *corr. Kalinka*, sensus *GTM edd., adn. f. sensui Maur. (Teske)* 8 concussus] concisus *G*, concossus uel concissus *M* 13 certamine *Tac.*, certaminum *M* | sed] et *G* 16 uendicetur *Tpc.M (sim. saepe)* 19 asserendum *G*

quaestionibus obviare et tardissimorum quorumque, qui et  
 frigidis possunt obiectionibus permoveri, placuit habere  
 25 respectum, tertio libro qualiter ex uno multi nati dicerentur  
 ostendi. Est tamen etiam decentissimum, si volumen sequens  
 prioris debitum luat, ut et magna inter libros videatur esse  
 concordia et ad cognitionem totius operis invitentur legentes,  
 cum etsi dilata in primis aliqua aestimaverint, intellegunt  
 30 praetermissa non esse. (4) Ostenso igitur fidei et industriae operis  
 convenire quod fecimus, congregiamur cum Manicheis pro dei  
 operibus et legibus, ab illis naturalis mali deformitatem, ab istis  
 iniquitatem iudiciorum feralium repellentes, docentes in istarum  
 praeceptis nihil de bono suo perdidisse iustitiam, in illorum  
 35 seminibus nihil de malo suo diabolium miscuisse; haec postremo  
 digna deo esse rectore, illa deo dignissima conditore.

*AUG(USTINUS) R(ESPONDIT)* (1) Congressionem tuam Mani-  
 chei, ne in nostra congressione superarentur, pro auxilio magno  
 sumerent, nisi et vos cum eis fides catholica superaret, quando-  
 40 quidem discordiam concupiscentiarum carnis et spiritus et  
 miseras generis humani, quibus plena est natura mortalium,  
 incipientes a fletibus et calamitatibus parvulorum, propterea non  
 sinuntur duarum quas inducunt naturarum commixtioni  
 tribuere, quia haec omnia naturae peccato vitiatae, quam deus  
 45 bonam condidit nec vitiatam fecunditatis munere et bono opifi-  
 cio suo deserit, auctoritate divina et verissima ratione tribuuntur.  
 (2) Quod vos negantes arma quidem quibus vincuntur conamini  
 infringere, sed tam sunt firma et invicta, ut, sive illis ad vos sive  
 vobis ad illos transfixis peremptisque perveniant, utrosque  
 50 prosternant.

---

31 Manicheis] *add.* et traducianis *G* 32 istis] his *G* 33 istorum *G*  
 36 esse deo *tr. Maur.* | dignissima deo *tr. Gac.* 37 Augustinus respondit  
*Vig., Aug(ustinus) codd. Maur. (semper)* 41 natura ... calamitatibus] cala-  
 mitas *G* 49 transfixit peremptis *Vig., transfixis et peremptis Maur.*

2. *IUL. Ð* Quibus duobus si(c) creditis, id est dei nec opera mala esse nec iniqua iudicia, totum traducis dogma conteritur, sicut e regione traducis impietate suscepta haec duo, conditio dei atque iudicatio, per quae solum deus potest intellegi, destruuntur.

*AUG. R* Nec opera mala sunt dei, quando et de malis quibuscumque bene operatur et parvulis, quos de massa per primi hominis praevaricationem perdita bene operatus est, etiam sanandis benigne opitulatur, nec iniqua iudicia, quando *gravi iugo super filios Adam a die exitus de ventre matris eorum* nonnisi peccatorum merita ulciscitur. Haec cum creduntur atque intelleguntur, et Manicheorum et Pelagianorum error exstinguitur, Manicheorum scilicet, quia mala ista generis humani volunt deputari nescio cui mali principio aeternitati dei coaeterno, Pelagianorum autem, quia ea nolunt imputare peccato.

3. *IUL. Ð* Iam ergo ea, quae contextuit lacerator naturalium, ponderemus; sed ut rerum, quae mutua sunt responsione perplexae, lectori nostro tam intellegentia quam discretio suggeratur, quo genere obluctetur admoneo. Profitetur scriptis obviare nostris, quae ad se ait in brevi cartula destinata, et ponit aliquas sententiarum mearum particulas atque suggillat quae in meo opere non tenentur.

*AUG. R* Deo gratias, quod ipsis quattuor libris tuis, unde ille quod voluit sicut voluit, excerpserit, cuius ad me cartula missa pervenit, sex libris meis ad cuncta respondi. Puto quod ibi non es dicturus aliqua me redarguere voluisse, quae in tuo opere non tenentur; quod etsi dixeris idque probaveris, etiam gratulari debeo non te dixisse quae dicere non deberes, atque utinam

---

2,8 gravi ... eorum] (*cf.*) Sir. 40,1

---

2 *GTKM* 1 Iulianus dixit *Vig.*, Iul(ianus) *codd. Maur. (semper)* | sic *corr. Morel p. 265 (Teske)*, si *GTKM edd.* 14 quia ea] qui ea *T Vig.*, quia *Maur.*

3 *GTKM* 1 ea *om. K* 3 quam] qua *G* 5 chartula *Maur. (sim. semper)*

15 quaecumque verba tua rectissime reprehenduntur, nulla omnino dixisses.

4. IUL. D. (1) Loquitur ergo ad Valerium: “Attende quibus se existimat adversum nos huic praemisso titulo consonare. ‘Deus’, inquit, ‘qui Adam ex limo fuerat fabricatus, Evam construxit e costa et dixit: *Haec vocabitur vita, quoniam mater est omnium* 5 *viventium.*’ Non quidem ita scriptum est, sed quid ad nos? Solet memoria falli in verbis, dum tamen sententia teneatur. Nec Evae nomen, ut appellaretur *vita*, deus imposuit, sed maritus. Sic enim loquitur: *Et vocavit Adam nomen uxoris suae vitam, quoniam* 10 *mater est omnium viventium.*” (2) Stupenda doctoris eruditio, qui ne paululum quidem ab scripturarum sinit sermone deflecti. Imperitiam nostram arguit, sed oblivioni veniam dare dignatur, qua factum erat ut ego dicerem nomine vitae a deo mulierem nuncupatam, ita per occasionem brevem et eruditus apparere studuit et benignus. Sed ut non est admiranda diligentia nomi- 15 natorem feminae comperisse, ita impudentia non ferenda est velle ignoscere quod culpae non possis. Non enim ita in meo opere legitur sicut in commentis huius tenetur. (3) Ego quippe posito legis testimonio, quo dixisse rerum creator ostenditur: *Non est bonum solum esse hominem, faciamus ei adiutorium simile* 20 *sui*, “Quid est hoc”, inquit, “*Non bonum est solum esse hominem?* Numquid deus aliquid fecerat quod non bonum iure dici posset, maxime qui *omnia* non solum *bona*, sed etiam *bona valde* fecerat? Quomodo ergo ait: *Non est bonum solum esse hominem?* Quo

---

4,1 attende ... 9 viventium] Aug. nupt. 2,12 4 Gen. 2,23; 3,20 8 Gen. 3,20 19 Gen. 2,18 20 quid ... 33 substitisset] Iul. ad Turb. frg. 26 22 omnia ... fecerat] (cf.) Gen. 1,31

---

4 GTM 2 aduersus M nupt. | hoc nupt. (sed plerique codd. huic) 8 loquitur] legitur nupt., adn. f. legitur Maur. | vocavi Migne | vitam] vita nupt. Migne 9 ipsa mater nupt. 10 ab] a edd., ob M 20 bonum est esse solum tr. Vig., est bonum esse solum tr. Maur.